241.
219.
11
BIBLIOTECA PROVINCIAL Y UNIVERSITARIA * SEVILLA *

DIE VIIJ. MARTIJ.

IN FESTO S. IOANNIS DE DEO CONFESSORIS, ET ORDINIS HOSPITALITATIS FVNDATORIS. SEMIDVPLEX.

Sacr. Rituum Congregat. approbatum, & extensum, pro Regnis Hispaniarum, & Lusitaniæ tantùm, sub ritu Semiduplici. Die iiij. Ianuarij 1698.

Omnia de Commu. Confess. non Pontificis, præter ea, quæ ponuntur.

Oratio.

DEus, qui beatum Ioannem, tuo amore succensum inter flammas innoxium incedere fecisti, & per eum Ecclesiam tuam noua prole fecundasti: præsta, ipsius suffragantibus meritis, vt igne charitatis tuæ vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proueniant. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de libro Ecclesiastici: Beatus vir,

de Communi Confeſſ. non Pontif. ſecundo loco.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iiij.

IOANNES DE DEO ex Catholicis, pijſque parentibus in Oppido Montis Maioris Iunioris Regni Luſitaniæ natus, quàm ſublimiter in ſortem domini fuerit electus, inſuetus ſplendor ſuper eius Domo refulgens, ſonituſque æris campani ſua ſponte emiſſus ab ipſo eius natiuitatis tēpore non obſcurè prænuntiarūt. A laxiori viuendi ratione; Diuina operante virtute reuocatus, magnæ ſanctitatis exhibere ſpecimen cœpit & ob auditam prædicationem verbi Dei ſic

ad meliora ſe ex
tum ſenſit, vt ia
ipſo Sanctioris
rudimento conſ
matum aliquid, p
ctumque viſus ſit
giſſe. Bonis omn
in pauperes carcer
incluſos erogatis,
mirabilis pœniten-
ſuique ipſius cont
ptus cuncto pop
ſpectaculum fact
pleriſque ceu den
grauiter afflictus
carcerem ament
deſtinatum conijc
At Ioannes cœl
charitate magis in
ſus, gemino, a
amplo valetudin
ex piorum eleem
nis in Ciuitate Gra
tenſi extructo, iact
ſui Ordinis fundam
to Eccleſiam n
prole fœcundauit F

tr

trum Hoſpitalitatis, infirmis præclaro animarum, corporumque profectu inſeruiẽtium, & longè latèque per orbem diffuſorum.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

PAuperibus ægrotis, quos proprijs, quandoque humeris domum deferebat, nulla in re ad animæ corporiſque ſalutem proficua deerat. Effuſa quoque extra noſocomium charitate indigentibus mulieribus viduis, & præcipuè virginibus periclitantibus clàm alimenta ſubminiſtrabat, curamque indefeſam adhibebat, vt carnis concupiſcentiam à proximis huiuſmodi vitio inquinatis exterminaret. Cùm autem maximum in regio Granatenſi valetudinario excitatum fuiſſet incendium, Ioannes impauidus proſilijt in ignem, huc illuc diſcurrens, donec tùm infirmos humeris exportatos, tum lectulos è feneſtris proiectos ab igne vindicauit, ac per dimidiam horam inter flammas iam in immenſum ſuccreſcentes verſatus, exindè diuinitùs incolumis, vniuerſis ciuibus admi-

mirantibus exiuit, in ſchola charitatis edocens, ſegniorem in eum fuiſſe ignem, qui foris vſſerat, quàm qui intus accenderat.

℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradiſi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

MVltiplici aſperitatum genere, demiſiſſima obedientia, extrema paupertate, orandi ſtudio rerum diuinarum contemplatione, ac in Beatam Virginem pietate mirificè excelluit, & lacrymarum dono enituit. Denique graui morbo coreptus, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè, Sanctèque refectus, viribus licèt deſtitutus, proprijs indutus veſtibus è lectulo ſurgens; ac prouolutus in genua, manu & corde Chriſtum Dominum è Cruce pendentem perſtringens, octauo Idus Martij, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo obijt in oſculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimiſit, & in eadem corporis cõſtitutione odorem mirè fragrantem diffundens ſex circiter horas, quouſque indè dimotus fuiſſet, tota Ciuitate inſpectante, mirabiliter permanſit; quem antè & poſt obitum plurimis miraculis cla-

clarũ Alexander Octauus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi iustũ coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est qui contempsit vitã mundi, & peruenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euãgelij secundũ Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 22.

IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi, & interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magister: quod est mandatũ magnum in lege? Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

Homil. 72. in Math.

SAdducæis confusis, Pharisæi rursùs aggrediũtur: cumq; quiescere oporteret, decertare voluerunt; & Legis peritiam profitẽtem præmittũt, non discere, sed tentare cupientes: ac ità interrogant: Quodnam primum mandatum in Lege sit. Nam cùm primum illud sit, Diliges Dominũ Deum tuum: putantes causas sibi allaturum ad mandatũ hoc corrigendum, aliquid addẽdo, quoniam Deum se faciebat, hoc modo interrogãt: Quid igitur Christus? vt ostendat idcirco ad hæc eos deuenisse, quia nulla in eis esset charitas,

tas, ſed inuidiæ liuore tabeſcerent: Diliges inquit, Dominum Deum tuum: hoc primum, & magnum mandatum eſt. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

℟. Iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & de omni corde ſuo laudauit Dominum:* Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentia ſua. Ipſe intercedat.

Lectio viij.

QVamobrem ſimile eſt huic? quoniam hoc illud inducit, & ab illo rurſùs munitur. Quicumque enim malè agit, odio habet lucem, & non venit ad lucem. Et rurſùs: Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Deinde ſequitur: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis. Et iterũ: Radix omnium malorum auaritia eſt: quam quidam appetentes, errauerunt à fide. Et, qui diligit me, mandata mea ſervabit, quorũ caput, & radix eſt, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum.

℟. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris:* Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominũ ſuum, quando reuertatur á nup-

nuptijs. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

SI ergo diligere Deum, diligere proximum est (nam si diligis me, ò Petre, inquit, pasce oues meas:) si etiam dilectio proximi facit vt mandata custodias: meritò ait in his totam Legem, & Prophetas pendere. Et quemadmodum in superioribus cum de resurrectione interrogaretur, plus docuit, quam tentantes petebant: Sic in hoc loco de primo interrogatus mandato, secundum etiam non valdè, quam primum inferiùs, spontè attulit: secundùm enim est primo simile. Ita occultè insinuauit, odio illos ad quærendum incitari. Charitas enim, inquit, non æmulatur.

Te Deum laudamus.

Si hoc festum venerit in Quadragesima, nona lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit commemoratio.

Missa: Iustus vt palma, de Communi Confessoris non Pontificis secundo loco, cum Oratione propria, & Euangelio supradictis.

AD pias præces Maiestatum Regis, & Reginæ Catholicarum, concessa sub die decimo quarto mensis Decembris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi septimi extensione Officij S. Ioannis de Deo in locis, in quibus ortus ac sepultus fuit, necnon in eorumdem Diœcesibus sub ritu Duplici: In Regnis verò Hispaniarum, & Lusitaniæ tantùm, sub ritu Semiduplici; cùm subsecuta approbatione SS. D. N. Innocentij Duodecimi, sub die vigesimo octauo eiusdem mensis Decembris, & anni: commissaq; Lectionum reuisione, necnon approbatione Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Coloredo iuxta eius mentem; præsentes Lectiones prout iacent, concedi, & extendi posse, etiam pro Locis supradictis: quibus denuo à Sac. Rit. Congregatione concessum fuit celebrari Officium S. Ioannis de Deo prædicti, idem Eminentissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Coloredus censuit ac declarauit. Die quarta Ianuarij 1698.

A. Cardin. Cybo.

Loco ✠ Sigilli.

B. Highirami, Sac. Rit. Congreg. Secr.